




Umschlag


I

5

N^o 3^d

Zur K^{öniglichen} Milit^{är}-K^{öniglichen} Bibliothek
Milit^{är}-K^{öniglichen} Bibliothek





2. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA

39

DE
**FIDEI
PROBATIONE
DIVINA**

Qua occasione Oraculi i. Petr. 1, 7.
ORTHODOXAM SENTENTIAM SISTIT
EANDEMQUE

SVB MODERAMINE

DN. MARTINI CHLADENII

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESS. PVBLICI
AEDIS OO. SS. PRAEPOSITI, ET SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSORIS

MAECENATIS SVI AC STVDIORVM PROMOTORIS
FILIALI CVLTV ATQVE OBSEQVIO AETERNVM
VENERANDI AC PROSEQVENDI

E CATHEDRA BEATI LVTHERI

DIE IV. APRILIS A. O. R. ∞ 1900 XX.

PLACIDAE Θεολογικῶν DISQVISIONI

SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRVS

M. GODOFREDVS SAMVEL Seyfried

FREYBERGA MISNICVS

SS. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

51

DEUTSCHEN THEOLOGISCHEN

FIDEL
PROPAGATIONE
DIVINA

ORDINARIUS GENERALIS
MARTINI

DR. MARTINUS

DE THEOLOGISCHEN

UNIVERSITÄT

UNIVERSITÄT

VIRO
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO
CONSULTISSIMOQUE
DOMINO
JOHANNI FRIDERICO

Seyfried

SACR. REG. MAJEST. POLON. ET
SERENISS. ELECTOR. SAXON.

PRAEFECTO REDITVVM CENSVALVM PER
TOTVM TRACTVM MONTANVM

NEC NON

CONSULI REIPUBLICAE FREYBERGENSIS
IN SVDETIBVS MERITISSIMO

PARENTI SVO HONORATISSIMO

PIETATE AEQVE AC OBSEQVIO AETERNVM VENERANDO
SALVTEM AC PROSPERITATEM PERENNEM!

Si, quod nemo dubitat, verum, iis, qui maximam felicitatis nostrae partem iure quodam sibi vindicant, grates immortales habendas, iustumque ac debitum honorem esse statuendum: TIBI utique, HONORATISSIME DOMINE PARENS, in praesenti publicum quoddam pietatis filialis documentum, ac gratiae mentis atque observantiae monumentum erit exhibendum. Omnia enim, quae modocunque felicitatem meam perficere possint, me, post DEVM, TIBI unice debere, libentissime profiteor; ac sicuti vitae originem Immortali Numini, quod omnia mortalium gubernat atque moderatur, tribuo; ita Divinum illud munus per TE in me fuisse devotum, grata mente agnosco. TV a primis statim annis non solum ut essem, sed etiam ut bene essem, prospexisti; TV quae ad vitam hanc pertinent, largiter dedisti; TV, quo scientiis artibusque salubribus imbuerer mature, curasti; TV, quo pietas erga Immortale Numen constaret, sicque mens sana in corpore sano esset, sedulo navasti operam. TV denique, quo salutem meam firmam stabilemque redderes, mihi in Academiis, & Lipsiae, & hic Virembergae studiorum prosequendorum gratia comoranti,

moranti, & Sacris Literis incumbenti, unde honeste vitam Academicam agere possem, sumtus non leves dedisti, nullique pretio pepercisti, quo quandam rerum Theologicarum notitiam acquirere valerem. Pro egregio hoc TVO in me Paterno affectu publicae peragendaerant grates, quas etiam devoto pectore nunc persolvo, & ad ultimum usque vitae halitum sum persolurus. Accipe proinde, HONORATISSIME DOMINE PARENS, in tesseram cultus filialis ac grati animi, hanc de *Probatione Fidei Divina*, TVA auctoritate conscriptam disputationem Theologicam, ac tenues has studiorum primitias, non ingenii, sed affectus, testandi gratia TIBI consecratas, benevola mente adspice. Accipe, inquam, quod Tuum est; hanc ipsam enim dandi facultatem TIBI quoque debeo; accipe, quas exhibeo, leves paginas, ac mentem potius dicatam, aeternumque affectus TVI Paterni memorem respice! Quod reliquum est, Numen illud Praepotens ac Immortale piis demissisque precibus veneror, velit TE, HONORATISSIME DOMINE PARENS, & in Reipublicae emolumentum, & in familiae nostrae ornamentum atque solatium, in seros usque annos saluum praestare incolumemque, vires corporis
(3 animi-

animique augere, ac TE omni firmæ stabilis-
que felicitatis genere cumulare. Sic vovet,
sic optat

HONORATISSIMI
DOMINI PARENTIS

Vitæbergæ
d. XXVII. Mart.
M DCC XX.

ME DOMINE PARENIS & MATRIS
filius obsequiosissimus

M. GODOFR. SAMVEL Seyfried.



ALLOCVTIO PRAESIDIS
AD
CL. DOMINVM AVTOREM
RESPONDENTEM.

Vera atque salvifica DEL agnitio pupilla
oculi est, quae vel pulvisculo facillime
leditur. Spernit scorias & rejicit,
quas plerumque admiscet humanum in-
genium sibi relictum, si se ingerere in tam sanctum
negotium audeat. Nihil prorsus ferre potest, nisi
quod sit innocens, purum, intemeratum, incorru-
ptum. Nec aliter fides comparata est, quae ex
doctrina vera de Christo hausta atque concepta, so-
li huic Salvatore, ejusque merito inniti vult,
quicquid materiae vel fulcri aliunde quaerit, ficul-
neum est, tum demum pura habetur, quando nihil
operum vanaeque de se fiduciae admiscet, ubi ipsi
cum DEO est negotium. Perinde ut aurum aliis
metallis tametsi speciose permixtum, pro corrupto
potius

potius, quam puro, aestimari meretur: cuius vitium, si color forte oculos sefellerit, per rigidum examen tandem sponte patescit. Recte igitur, Amice honorande, hoc argumentum a Petro suppeditatum, excutiendum Tibi sumfisti, magnaue ac laudata diligentia expeditum dedisti. Subministravit Tibi occasionem hujus similitudinis Patria Tua dulcissima, quae a tot massis purioris metalli excocctis, jam per secula aliquot celebris est, & quod potissimum, aurum fidei probatae tanquam pretiosissimum depositum seruat, cuius olim, si quenuquam, Hieronymum sane VVellerum, Tuae Urbis Doctorem olim percelebrem, specimen non unum dedisse, ex vita ejus probe meministi. Plura vero de hac re Tecum loqui vetat propositum. Hoc unum superest, ut Tibi ex Academiis abeunti, atque fructus studiorum, hic perinde ac Lipsiae cum laude gestorum, imposterum collecturo, Diuinam gratiam uberrimam ex animo apprecer. Concedat Ipse fortunae Tuae Arbiter Summus Parenti Tuo Amplissimo, meritisque in Patriam multis Spectatissimo, hanc voluptatem innocentissimam, ut Te in suggestu sacro res Tuas cum fructu Ecclesiae agentem videat, ac Tu ipse quoque laborum Academicorum eventum exoptatissimum, tempore diuinitus Tibi destinato, experiaris. Vale. Scribebam die XXVII. Martii A. O. R. MDCCXX.



Ἐν τῷ ἐνδυναμῶντι Θεῷ!
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PROBATIONE FIDEI DIVINA.

PRAEFAMEN.



IESVS Salvator Noster Optimus Maximus in assumpta carne cum praedicaret, res ad aeternam salutem spectantes, non modo sub aliis schematibus, ex sphaera naturae petitis, repraesentavit, verum etiam speciatim imagines, quibus illas adumbraret, *ex regno minerali* depromere voluit. Pertinent huc similia & Parabolae, de *saele terrae*, seu terreno, & ex terra effosso, cui Apostolos comparat Matth. V, 12. de *thesauris metallicis a rubigine consumendis* C. VI, 19. *auro, argento, aere*, ex quibus monetae conflantur c. X, 9. & aliis pluribus. Dulcissimi Magistri sui exemplum Apostolos quoque in Novo Testamento imitatos fuisse, in scriptis eorum *θεοπνευστοῖς* passim legimus; qui sive de iis, quae creditu, sive quae factu

A

ctu

ctu necessaria essent, Ecclesias suas instituerent, illa subinde ex *rebus mineralibus, vel natura vel arte factis*, illustrasse, invenimus. Sic Paulus fidelissimus Gentium Doctor, quando Corinthios suos a falso sui amore dehortari, deque vero amore DEO proximoque exhibendo, instituere cupit, doctrinam hanc *ex aere resonante, & cymbolo tinniente*, quibus instrumentis fabricandis illi incumbabant, illustravit, 1. Cor. XIII, 1. nec aliter *sub aere Corinthiorum* res coelestes pulchre describit 1. Cor. III, 12. Petrus fidelis Domini Nostri Apostolus, quando Christum describit, similitudinem *a gemma pretiosissima* petit 1. Petr. II, 4. 6. Nec aliter procedit, ubi fidem per varias tentationes exercitam, probamque repertam, nobis sistere vult; illam enim cum *auro*, ejusque *probatione* comparare ac nobis insinuare aptissimum putat 1. Petr. I, 7. Ductu itaque hujus posterioris oraculi Divini Probationem fidei meditando intueri, arduamque materiam pro ingenii modulo atque imbecillitate excutere constitui, quod negotium ita conficiam, ut Sectione Exegetica atque Dogmatico-Morali totum includam. Numen vero Prae-potens ac Immortale piis precibus veneror, ut huic instituto meo Gratia Spiritus Sancti sui ex altis adeste, omniaque in Nominis sui gloriam tendere ac evenire jubeat propter Christum!

SECTIO I. EXEGETICA.

§. I.

Verba oraculi nostri in fontibus ita fluunt: "Ἰνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίῳ, τῆ ἀπολλομένῃ, διὰ πυρός δὲ δοκιμαζομένῃ, εὐρεθῆ"

ρεθῆ εἰς ἔπαινον ἕ, τιμὴν ἕ, δόξαν, ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ
 Χριστοῦ. *Ut fides vestra, in probatione constituta, multo pre-
 tiosior sit auro, quod periturum est, per ignem tamen proba-
 tur, inveniatur in laudem honorem & gloriam, quando reve-
 labitur Jesus Christus.* Scopus Epistolae universae in ea
 consistit, ut Petrus Judaeos ad Christum conversos sole-
 tur ob persecutiones atque cruciatus, qui forte propter
 Christum, ejusque fidei professionem essent subeundi, ad-
 horteturque eos, quo aequo atque patienti animo omnia
 ferant, atque in hac sua Christianae religionis professio-
 ne constantes maneat, caveantque sibi, ne illa iterum
 excidant, sed vita potius decente atque sancta, moribus-
 que Christiano homine dignis, eam condecorent atque
 exornent. Sic etiam futurum esse certo sibi persuadeant,
 ut, ad quam vocati sint haereditatem coelestem, olim
 etiam adipiscantur. Hinc adhortationes varias adjicere,
 illisque, obedientiam praestandam Magistratibus, hone-
 stam atque Christianam conjugum inter se conversatio-
 nem, vitandam profanam Gentium consuetudinem, &
 alia ejusmodi insinuare simul, e re esse judicavit; unde
 etiam gravissimas rationes atque argumenta, a fidei no-
 strae natura atque mysteriis petita, ubique admiscet. Bre-
 viter atque solide hunc finem Petri in hac epistola praefi-
 xum indicavit B. WALTHERVS, qui in *Officina Biblica*
 pag. 471. Summam Epistolae facit *commonesactionem ad*
fidem & vitam sanctam. Cui conspirat Immortalis Nominis
 Theologus LOESCHERVS, qui in Theologia Exegetica
 pag. m. 202. tribus saltem, ast nervosis valde verbis, indi-
 cat scopum Epistolae, in conjunctione fidei atque operum
 bonorum consistentem. Ita vero speciatim in primo
 statim capite procedit, ut praemissa ad *παρεπιδήμιους* Chri-
 stianos, hinc inde inter gentes dispersos & hospitantes, fa-

lutatione Apostolica v. 1. & 2. Epistolam auspicietur solenni quadam doxologia, qua celebrat beneficium regenerationis, per quod DEVS ipsis fidem largitus fuerit, qua non saltem crucem omnem & calamitatem immisissam intrepide sufferre, verum etiam praemium coelestis & aeternae vitae consequi possint. Vnde velut in parenthesis eos commonefacit, quam non alienam illis videri debeat, quando variis aerumnis & tentationibus premantur: Omnia enim eo pertinere, ut *tum fides probeatur*, v. 7. tum ipsi quoque eo *majori gaudio* aliquando *exhiberentur*, quando eum visuri sint in vitae aeternae gloria, in quem in hac vita credidissent, etiamsi non viderint v. 8. 9.

§. II. Vix itaque vel initio dissimulare potest Apostolus, non defuturas esse fidelibus varias persecutiones, quae tum a falsa Ecclesia Judaeorum, tum a Gentilibus ipsos manerent. Videtur velle id vel eo nomine judicare, quo utitur ad locum designandum, ubi eo tempore commorabatur. Nominat eum Βαβυλῶνα, i. Petr. V, 13. in qua urbe, etsi DEVS Ecclesiam *συνελεκτήην* habebat, aliquid mysterii tamen quoad denominationem quaerunt non praeter rem Interpretes. Vti enim *Affyriae* vel *Aegypti urbem* hic intelligendam esse, vix unus vel alter asserere deprehenditur, ita plerique de urbe *Romae*, quae in ipsa Apocalypsi saepius sub Schemate *Babylonis* adumbratur, exponere non dubitant. Habent in eo ipsos Pontificios consentientes, quanquam limitent, & restringant hunc titulum, ne scenae suae aliquid praesudicent, ad Romam mere Ethnicam, quos tamen ipsa temporum probata historia docere poterat ac debebat, persecutiones fidelium ex Roma quoque, Christiano nomine superbiens, prodiisse, atque sic etiam, imo praecipue hoc nomine ex mente Spiritus

ritus Sancti *Babylonis* nomen accepisse. GVILIELM. ESTIVS Pontificiorum Doctor alias non ex postremis, in *Commentario suo in omnes Epistolas Apostolicas in hunc loc.* Opp. pag. 1150. inquit: *Babylonis nomine Romam typice esse designatam propter confusionem idololatriae, quae tunc Romae vigeat, communis est, & valde probabilis opinio, ut in urbe Romana epistolam hanc scriptam esse, non sit, cur magnopere ambigamus.* Hunc LORINVS sequitur, hoc ipsum affirmans, sicque in hanc sententiam loquitur: *Quotquot, inquit, legi Interpretes Catholicos, per Babyloniam Romanam Ecclesiam intelligunt, quod urbs Roma, unde scribebat tunc Petrus, esset eo tempore idololatriae plena, plena confusionis, (quod est etymon Babylonis,) & ita vexaret fideles, ut quondam Babylon Ebraeos.* Totus Catalogus Doctorum Pontificiorum, hoc ipsum asserentium, citatur ab ipso, legique potest in *Commentario ipsius in Epistolas Petrinas in Cap. V. prior. Epist. v. 13. pag. 329. 330.* COCCJEVS in *Tom. VI. Opp. pag. 281. §. 67.* notat quosdam *Codices subscribere: ἐγγυεὶ ὄν ὀπὸ Ρωμῆς,* & addit COCCJEVS loco allegato: *His argumentis nituntur Pontificii, Petrum Romae fuisse, quod si verum est, Romam vere debemus aestimare Babylonem, non tantum ratione illius temporis, quo haec epistola scripta est, sed etiam secuturi, nempe quod regnum illius Civitatis nunquam non sit Babylonicum.* De Roma regnante, pergit, etiam non habemus aliud elogium, nempe quod alias sit Babylon, alias sit metropolis & arx Antichristi regni, idque imprimis propterea, quia Scriptura urbem dominantem simpliciter & in universum docet esse alienam a regno DEI. *Es. XXVI, 5. Hof. XI, 9.* Quare autem illud concedant tam larga manu Pontificii Interpretes, mirari aliquis posset, cum revera sit *ἡγεμόνευον*, quo concessio multum suae causae nocere videbantur: nisi aliud exinde lucrari se crederent, quod in eo positum est,



est, *Romae tunc fuisse Petrum, ubi hanc scripserit Epistolam.* Quod uti haud inviti concedere possumus; nam pro dignitate Episcopali aut Petri, aut Successorum, parum vel nihil ex sola ejus praesentia lucrantur, ita plus vicissim hoc posito & concesso veritati accedit, quod per Babyloniam Roma intelligatur. Nam deinceps confici poterit ex praedicatis facile hinc inde occurrentibus in variciniis Veteris & Novi Testamenti, utrum saltem sic dicatur respectu *idololatriae Ethnicae, & persecutionum* sub Imperatoribus Gentilibus Ecclesiae DEI impostarum: an vero potius *intuitu superstitionum & persecutionum*, ab ipsis Episcopis Romanis successu temporis introductarum. Conf. HEIDEGGERVS in Myster. Babyl. Magno Diss. VII. p. 151.

§. III. Nullum itaque dubium est, Apostolum Spiritus Sancti impulsu actum, probe intellexisse, quantum ex ea speciatim urbe veris fidelibus aliquando tentationum esset eventurum, unde vel digito indice monstrat, non esse illis ulla aetate ac tempore animo despondendum, si videant, sibi varia pericula ac discrimina objici, quibus fides eorum probetur; neque etiam mirum esse, si *aliquamdiu sub tentationibus gemant*, v. 6. Sic enim palam fieri, utrum fides ipsorum genuinae sit indolis, aut saltem constantia debita sit exornata. Atque hoc dicit Apostolus *δοκίμιον τῆς πίστεως*. Vocabulum τὸ δοκίμιον, sive proxime a δοκιμάζω *exploro, examino*, sive remotius a δοκέω, quod a *δοκέω video, censeo, existimo, in aliqua existimatione sum, proba*, derives, unum erit idemque. Multi Lexicographi in eo conspirant, ut hoc τὸ δοκίμιον magis de *actu*, quam *objecto probationis in passione constituto*, scilicet de fide credentium, interpretentur, sed contra omnem genium linguae. Facit cum his COCCJEVS, qui etiam per hoc τὸ δοκίμιον medium, quo DEVS ad probandam fidem utitur,

utitur, intelligere videtur, illudque, per quod aurum probatur, ipso auro pretiosius esse, judicat, sed falso judicat. Sic enim loc. cit. pag. 224. §. 102. inquit: *Quod τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως ἢ πολὺ τιμωτέρον, quod probatio fidei, si-
ve id, per quod probatur fides, sit longe pretiosius. Quanto
fides pretiosior est auro, tanto fidei probatio est pretiosior pro-
batione auri.* Et porro inquit: *Auri δοκίμιον habet suum
pretium, quia id praestat δοκίμιον, quanto magis id, quod prae-
stat fidem sinceram, puram, nitidam, fortem, & ejus δοκί-
μῆν nobis exhibet, debet pretiosum videri, & amabile.* Con-
sentit cum COCCEJO GROTIUS *Biblior. Critic. Tom. V. pag.
1678.* Rectius GLASSIUS idiotisimum linguae evolvens in
Philologia Sacra Lib. III. Traët. I. Canone VIII. p. 558. docet: *Quod
inter duo substantiva in statu regiminis posita (h. e. quando
substantivum unum regit alterum in genitivo casu) modo
prius, modo posterius, loco adjectivi sit.* Ad priorem classẽ
quando scilicet prius Substantivum loco Adjectivi est, inter
innumera alia exempla, loc. cit. pag. edit. noviss. 561. etiam
hoc nostrum oraculum refert, addita simul ratione: *Ita
explicandum esse, (puta per fidem exploratam) tum subjun-
ctum praedicatum ostendit: inveniatur in laudem & gloriam
& honorem, in patefactione Jesu Christi, quod ad ipsam proba-
tam fidem pertinet; tum & collatio instituta cum ipso auro
per ignem probato.* Per Ebraeam ejusmodi phrasilogiam
etiam JONAS SCHLIGTING in *Commentario posthumo Tom.
II. Opp. pag. 300.* τὸ δοκίμιον non male pro probata fide
habet, atque per Ebraeam phrasin explicat, ubi duo
substantiva pro substantivo & adjectivo ponantur.
Qua de causa etiam CORNELIUS A LAPIDE in
Comment. in Epist. Canonicas in b. l. pag. 207. absur-
dum alias inde proveniens evitat, atque τὸ δοκίμιον
per fidem exploratam exponit, haec enim, inquit, lauda-
tur,

tur, non ipsa probatio fidei, quae sit a Daemone atque Tyranno, ac multos saepe in lapsum atque ruinam adigit. Praeclare incommodam hanc COCCÉJI sententiam refutavit GERHARDVS Noster in Commentario aureo in h. l. pag. 70. τὸ δοκίμιον, ait, τῆς πίστεως, exploratio fidei locutione transiua per Hebraismum ponitur pro fide probata, variis videlicet tentationibus & afflictionibus, ut ex versu praecedente intelligitur. Est ergo τὸ δοκίμιον, quod non modo bonitatem intrinsecam, eamque sibi debitam habet, verum eam quoque nullis afflictionibus expugnari, vel expelli patitur, aut imminui; sed constantissime perdurantem servat ac tuetur, ita, ut ubicunque spectetur, recte, & normae suae convenienter, se exhibeat, oculos ac mentem scrutantis mire delinuat ac delectet. Magna hinc cum emphasi, quod primo loco notandum erat, vertit Lutherus Noster: *Auf daß euer Glaube rechtschaffen erfinden werde.*

§. IV. Hoc vero δοκίμιον dicitur τῆς πίστεως, *fides*, & uti in praecedente §. III. ostensum, per *exploratam fidem*, exponendum est. Notabilis in Scholis Theologorum distinctio est, qua fides in *subjectivam*, s. *qua*, & *objectivam*, s. *quae* creditur, dispeSCI solet. Prior (notante CARPZOVIO in *Isagoge in Libr. Symbolic. Nostros pag. m. 76.*) illa dicitur, *quae in animo credentis est, & tantum conspicua illi, cuius est*: Posterior vero illa, *quae in rebus est, quae vel esse, vel fuisse, vel futurae esse dicuntur*. Vtramque hanc fidem, & *subjectivam*, & *objectivam*, Divum Petrum hoc elogio ornare, videtur. Apostolum enim fidem *subjectivam* hoc loco insinuare, ex praecedente versiculo §. Cap. I. satis adparet; quod fidem vero etiam *objectivam* intelligat, non solum ex eo liquet, quia *subjectiva* fides semper *objectivam* supponit; sed ex seopo etiam

etiam & sine, quem Apostolus sibi in hac Epistola praefixit, illud facile colligere possumus, qui uti §. I. demonstratum, in eo consistit, ut fideles, speciatim Judaeos ad Christum conversos, adhortetur, quo in professione religionis Christianae immoti persistant, nec per cruciatus sese ab illa deterreri patiantur. Hinc LORINVS in Commentario in b. l. pag. 181. *Fides*, inquit, *hoc loco doctrinam revelatam assensumque ejus denotat, quamvis & fidelitatem* (intelligit fidem subjectivam,) *verum sit, his modis probari, nec non fiduciam.* DEVM quoque fidem objectivam, five articulos fidei, examini suo atque probationi subijcere, uti multa oracula Divina probant atque evincunt, ita unicum, illudque palmarium omnium Divi Pauli nobis sufficere potest, quod 1. Cor. III, 10 - 15. habetur. Comparat ibi Apostolus Paulus totam revelatam religionem *aedificio cuidam*, quod docendo extruatur, cujus *fundamentum* sive *basin* Christus constituat, quodque Apostolus Paulus per doctrinam suam atque praedicationem Evangelii posuerit. Posito itaque sic fundamento Doctores Paulum insequentes *superstruere* atque *superaedificare* debebant, quisque tamen videat, quid superstruat, caveatque, ne *lignum, foenum, stipulasque*, per quas doctrinas falsas, futiles, atque inanes intelligit, fundamentali doctrinae addat, sed *veras* potius, *solidas, salutique* perutiles, & fundamento tam praestanti conformes atque correspondentes. Sicuti autem inter aurum, argentum, & lapides pretiosos praestantiae atque excellentiae gradus sit, sic talis etiam inter doctrinas non ita fundatas, & quodammodo inanes, inveniatur, stipulae enim foeno, foenum ligno, lignum lapidibus pretiosis, lapides pretiosi argento, argentum auro, est levius atque inferius. Servit autem illud similitudini huic, nam & haec in aedificiis vilioribus adhi-

beri solent, praesertim in tectis & tuguriis, ubi etiam stipulae adhiberi solent, sed in tam praestanti aedificio, cuius fundamentum est aurum purissimum, & ipsum totum ex auro, & argento, & lapidibus pretiosis constare debet, lignis, & stipulis, & foeno nullus est locus. Pergit deinceps Apostolus v. 13. dicere, *quod uniuscujusque opus manifestum sit futurum*, i. e. cujuslibet doctrina, quam ad hoc aedificium adfert, sive id, quod in hoc aedificio extruit, manifestum fiet, si forte ab initio non omnibus pateat, quale sit; solent enim saepe vera dogmata pro falsis, & falsa pro veris in hoc seculo venditari, sed fraus atque fucus olim detegetur; dies enim manifestabit, scilicet aut dies ultimus, aut dies tentationis, utrobique vero per ignem.

§. V. Vocabulum ὑμῶν *Subiectum* hujus probationis nobis sistit, quod *fideles* constituunt, qui sub hoc examen vocantur, illudque sustinent. Loquitur enim Apostolus hoc loco *de conversis ad Christum*, deque illis pronunciat, fidem ipsorum examini Divino subjici, probamque inveniri. Ab hoc examine Divino coeterum non excludendi sunt *mali*, qui etiam a DEO probationi variae submittuntur, hoc tamen discrimine observato, quod TERTULLIANUS in *Apologetico Cap. XLI.* docet: *Omnes seculi plagae, inquit, nobis in admonitionem, vobis (scilicet impiis,) in castigationem a DEO obveniunt.* Sic exempla Scripturae abunde testantur, DEVM etiam impios fornaci, in qua excoquitur vena vel metallum, hoc est, variis tentationibus committere, uti a Jeremia de Israelitis impiis dicitur, DEVM eos quoque *in ignem misisse*, sed finem, quare ille ipsos huic igni commiserit, non consecutum esse. Hinc Jeremias Cap. VI, 28. 29. 30. de iis dicit: *Omnes sunt conumacisimi, ambulantes cum detractione, chalybei & ferrei;*
omnes.

omnes corruptores sunt: Exarescit follis, igne consumitur plumbum, in vanum pergat conflare; nam mala avelli non possunt. Argentum reprobum vocantur illi, quia reprobatur Jebonab illos. Hinc damnati reprobi dicuntur, quia a DEO quidem examinati, sed reprobati sunt; sic de DEO etiam praedicatur ipsum quoque eos probare, quos gravissimis poenis afficit, uti de Israelitis, dicto ejus obedientiam denegantibus, affirmatur, quod eos conflans probaverit, Jer. IX, 7. atque sic probari saepius ponitur pro castigari & flagellari a DEO. Job. XXXIV, 36.

§. VI. Considerationi nostrae ulteriori phrasid πολὺ τιμιώτερον multo pretiosior (scilicet fides nostra explorata, probaque inventa,) sese objicit, quod vocabulum postremum a τιμῆς, & hoc a τίω honoro, aestimo, descendit & hoc loco facta inter fidem & aurum, a minori ad majus comparatione, de fide praedicatur. Dicitur autem haec fides Credentium δόκιμος seu probata, probaque reperta, τιμιώτερος, imo πολὺ τιμιώτερος, multo pretiosior, quia non solum ad fundamentum ejus pretiosum Apostolus hoc loco respicit; fides enim nostra nritur τιμῶ ἀμωτι ὡς ἀμωσ ἀμωμῆ & ἀσπίλῃ Χρυσῆ pretioso sanguine agni inculpati & incontaminati, sc. Christi, i. Petr. I, 19. qui i. Cor. VI, 20. & c. VII, 23. τιμὴ pretium dicitur; sed dicitur etiam πολὺ τιμιώτερος respectu valoris sui, siquidem nihil est, quod a DEO in majore pretio atque aestimio habetur, quam proba atque genuina fides; haec sola, soluto lytro, quod a Christo adprehensio accipit, captivum, in servitute per naturam diaboli constitutum, in libertatem asserit, eumque & a reatu & a poena absolvit, seu ut absolvatur, efficit, quare fide & ejus fundamento nihil pretiosius unquam cogitari potest, nec optari. Haec fides πολὺ τιμιώτερος τῆ Χρυσῆ multo pretiosior dicitur ipso auro. Aurum res est pretiosissima &

amabilis, valore intrinseco & aestimatione externa; praevaleret vero fides, non in oppositione ad corruptionem majorem, est enim fides ἀφθαρτος, sed ad res pretiosas, quia est carior ipso auro, quod tamen in rerum natura pretiosissimum habetur. *Auri & argenti frequens est in sacris literis, (inquit GOMARVS in h. l. pag. 687. Opp. Theologicorum) similitudo, sed pro circumstantiarum ratione potissimum aut distinctionis, ut Prov. XVII, 3. & c. XXVII, 21. aut purgationis habetur expressa mentio ut Zach. XIII, 9. Malach. III, 3. Psalm. XI, 5. & LXVI, 10. hic vero utrumque intelligitur.* Est equidem aurum princeps metallorum, omnium optimum, pretiosissimum ac pulcherrimum, & vere obryzum, unde omne praestantissimum ab auri excellenti natura aureum dicitur, etiam ipse homo aureus, ob virtutes vel eloquentiam singularem nominatur, ut Chrysostomus & Chrysologus ab ore & sermone aureo. Vnde & Sponsa laudans sponsum, caput ei manusque tribuit *ex auro, Cantic. V, 12. 14.* non tantum propter coronam & annulos aureos, quibus alias sponsus ornabatur, sed multo magis ob *summam intellectus vim & operandi, ac benefaciendi efficaciam.* Conf. MARTINVS DE ROA *in singularibus Scripturae P. II. cap. I. II. III. pag. 21.* ubi quid mala aurea in Prov. XXV, 11. denotent, fusus disquirat.

§. VII. Dicitur hoc aurum ἀπολλύμενον, quod perit, seu perditur, quod ab ἀπόλλυμι perdo, perco, descendit, & ERASMVVS hoc loco per τὸ ἀπολλύμενον, uti citatur in *Bibl. Critic. Tom. V. pag. 1670.* rem vilem ac pestilentem & perniciosam intelligit. Sed non adparet ratio, quare ERASMVVS ita concludat, quia Apostolus hoc loco non oppositionem, sed *comparationem* a minori ad majus instituit, sicque concludere videtur: Si homines aurum, quod tamen, quia particula hujus universi est, corruptioni

ptioni variae obnoxium est, tanti aestiment, ut in pretium ejus inquirant, illudque probent, multo magis DEVM fidem, tanquam rem multo pretiosiore, examini suo atque scrutinio solet subjicere, justumque ipsi pretium statuere. Chrysostomus per τὸ ἀπολλύμενον *corruptibile* illud intelligit, quod in cineres redigitur, verba ipsius sunt in Tom. V. Opp. pag. 94. Καὶ γὰρ ἡ ἡμῶν εἶδος λέγειν ἐν τῷ πυρὶ σώζεται περὶ τῶν μὴ κατακαυμένων καὶ τεφεμένων εὐθέως ὑλῶν: *Nam nos quoque solemus dicere saluum est igne, de iis, quae non comburuntur, nec statim in cineres rediguntur.* Atque sic mirum equidem uideri poterat, Apostolum *aurum* praedicare ἀπολλύμενον, quia contrarium experientiam testari videatur, esse illud tantae durationis, ut ne igne quidem absumatur. Sed tamen *aurum*, salva hac sua *duritie*, recte ab Apostolo ἀπολλύμενον *periturum* dicitur, quia non solum per usum, abscedentibus latenter ramentis, secundum illud Poetae atteritur:

- - - consumitur annulus usu.

Sed etiam igne universali cum universo creato est intereundum. Curiosum esset hac occasione inquirere, *num etiam aurum per artem perdi, inque nihilum redigi queat?* Hoc tamen, quia physicae magis, quam Theologicae quaestionis est, Physicis etiam atque Chymicis decidendum relinquimus; paucissimis tamen notamus, Apostolum quoque id asserere videri. Et illustre etiam, ad adstruendam hujus rei possibilitatem, in sacris Mosis habemus exemplum, qui vitulum ex auro conflatum, in pulverem redegit, atque in aquam projectum, filiis Israel bibendum tradidit Exod. XXXII, 20. Qua de causa DICKINSON in *Physica Veteri & vera ex edit. Octavi Ordinis pag. m. 473.* Mosen Chemicum fuisse probabiliter conclu-



dit: *Neque minus, inquit loc. cit. ccelebrata inter ipsos (sc. Aegyptios,) eadem tempestate fuerunt Chemicarum studia, atque artificia secretiora: in quibus insigniter exercitatum atque peritissimum fuisse Moysen fidenter asseramus, cum per scripta sua maximas in illa arte notitias ipse prodat. Primo quando palam proficetur, se reduxisse aureum vitulum in pulverem, vel in communi aqua solubilem; quod quanguam per ignis adustionem fieri dicitur, haud attamen aut culinarius, aut communis ignis aliquis intelligi debet, sed physicus iste, sive Chemicus, qui potis est aurum brevi tempore in valde subtilem atque solubilem calcem redigere, adeo, ut in fluviatili aqua dissolvi possit, & ad bibendum dari.*

§. VIII. Sequitur nunc medium probationis, quod verba *διὰ πύργος* innuunt, quae tropice accipienda esse ipse Apostolus innuit; quando praecedente commate. 6. *ποι- κίλλεις πειρασμῶς* commemorat. Ita quoque in eadem nostra Epistola cap. IV, 12. *afflictiones* nomine *πυρώσεως* aestus alicujus seu ignis aestuantis compellat; elegantissima similitudine, qua quicquid homini pio molestum evenire potest, vel excogitari ad animum ejus a sinceritate fidei avertendum, repraesentatur. Varia enim DEVS in probanda fide hominum adhibet media; Vitur nempe: 1) *permissione errorum* satis interdum gravium, atque haeresium, quas DEVS adeo illis immittere minatur, qui *veritatis amorem non recipiunt, ut salvi fiant, & quidem ἐνέσθγειον πλάνης, efficaciam erroris, seu efficacissimos errores,* 2. Thess. II, 11. Hinc LORINVS in Commentario suo citato pag. 182. in thesi recte dicit: *Probatur cujuscunque fides potissimum erroribus, sive haeresi, dummodo etiam recte eam definiret. Ad hoc sunt haereses, inquit TERTULLIANVS, ut fides habendo tentationem, habeat etiam probationem; imo necesse eas esse, dicit Paulus, ut qui probati sunt,*
mani-

manifesti fiant, 1. Cor. XI, 19. Vtitur DEVS ad probandam fidem 2) *afflictionibus*, quae igni respondent, & *urunt*, i. e. & corpori & animo dolorem afferunt; ideo eas Petrus infra cap. IV, 12. *πύρωσι*, quia ad *πειρασμὸν* tentationem nostram fiant, nominat. Et sicuti ignis aurum falsum & adulterinum consumit, & sic verum non fuisse aurum ostendit, verum autem dejectis scoriis & sordibus eo purius ac perfectius reddit; sic afflictiones falsam ac adulterinam fidem nullo negotio superant, veram autem multo clariorem ac illustriorem efficiunt. 3) Verbo suo, *quod igni comparat* Jeremias c. XXIII, 29. cujus effectum *in discipulis Emauticis* videmus, quorum cor ardebat, quum Christus a mortuis resuscitatus scripturas *eis explanaret*, Luc. XXIV, 32. Inserviunt 4) huic probationi tentationes tum internae tum externae, quibus ipse Salvator Noster O. M. vexabatur, *quum in deserto a diabolo tentaretur*. Matth. IV, 1. seqq. Vtitur denique 5) DEVS *persecutionibus*, per quarum *ignem* Davidem atque Christianos tempore Apostolico saepissime atrocissimeque fuisse quasi excoctos, tum ex scriptura, tum ex historia Ecclesiastica sacra abunde constat.

§. IX. In loco fere parallelo 1. Corinth. III, 10 - 15. ad hunc ignem persecutionis non minus ab Apostolo respici, plerique Interpretes attenti, persuasum habent. Vbi per *ignem* eruditus ille Anglus NORTHONVS KNATCHBVL tentationes atque persecutiones intelligere videtur, qui in *Animadversionibus ad Nov. Test.* prout in fine supplem. continuat. *Bibl. Critic. pag. 1866.* citatur, hunc locum ita explicatum cupit: *Sensus*, inquit, *hujus loci est hujusmodi: Quod si quis Minister Evangelii superacdiscaverit super hoc fundamentum, id est, JESUM Christum; aurum, argentum, vel lapides pretiosos, doctrinam nempe de fide, puram, solidam*

lidam & stabilem, sive foenum, lignum, & stipulam, id est, doctrinam levem, caducam & momentaneam, qualiscunque ea fuerit, dies manifestabit, cum ignis probationis venerit, quale sit cujuscunque opus τὸ πῦρ δοκιμάσει, ignis, id est persecutio probabit. In eo die, qui aedificati sunt, in pura, solida & stabili doctrina, manebunt firmi, atque inde Minister mercedem accipiet, perseverantiam nempe eorum, quos in fide stabilivit. Qui vero tincti sunt principiiis laxis, & minus firmiter radicati, cum supervenerit probatio persecutionis, deficient animis, & deficiant a fide, atque ita Minister perdet operam suam, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, ἕτω δὲ, ὡς διὰ πύργου ipse vero servabitur, ita vero, ut ipse per ignem evadat, id est, si in igne probationis firmus ipse manserit. Τὸ πῦρ & πύργου, passim in scriptura significant probationem afflictionum & persecutionis.

§. X. CORNELIUS A LAPIDE, quo vanissimum illud Pontificiorum commentum adstruat, hanc quoque occasionem arripit, & per admodum violentam expositionem mirum in modum hunc locum detorquet, atque de purgatorio hic agere Apostolum, audacter, sed contra omnem sensum, affirmat. Nobis equidem in eo assentitur, quod locutio hoc loco fit *met. borica*, metaphora a domo per ignem conflagrante sumpta, & non nisi de Doctoribus recte intelligi, deque eorum doctrina accipi debere, fatetur. *Est*, inquit in Commentar. suo in h. l. pag. 215. seqq. *metaphora a domo per ignem conflagrante, quae si ex auro & lapidibus pretiosis constructa sit, igne non laeditur, sed ex ligno & stipulis, aduritur.* Per lapides pretiosos hoc loco intelligit marmoreos, porphyreticos, & alios similes, non autem adamantes & gemmas, quia non ex his, sed ex illis construi soleant domus Nobilium & Principum, quemadmodum de Roma gloriatus fuit Augustus Caesar: accipi,

accepi, ait, Civitatem lateritiam, relinquo marmoream. Sed quia est, ut ipse fatetur, metaphorica locutio, & longe alia ratio habetur aedificii cujusdam Regis vel Nobilis, atque Christi, & quia etiam lapides marmorei sunt conflagrationi obnoxii, de his vero dicitur, quod non ignis ipsis nocere queat, quin potius eo magis resplendeant, non video causam, quare non pretiosiores ipsis marmoreis, quales sunt adamantes atque gemmae, in hac similitudine sint accipiendi? *Per aurum & argentum* intelligit opera sancta, per foenum, lignum, & stipulam vero peccata levia & venialia, quibus scilicet mens adhaerescat ad vana, v. g. ad carnis commoda, nugas, vanam gloriam, (quam Johannes prioris Epistolae Cap. II. comm. 16. vitiis cardinalibus, quae etiam amorem DEI excludant, annumerat,) cum tamen ipse loco allegato fateatur, proprie & ad mentem & scopum Apostoli *aurum & argentum doctrinam sanam, proficuum & sanctam*; per lignum, foenum & stipulam vero *doctrinam incertam, frivolum, pompasam, phaleratam, curiosam & inutilem esse intelligendam.* Licet autem totam hanc locutionem atque phrasin Apostoli pro allegorica agnoverit, uti ex haecenus dictis adparet, & continuata metaphora aedificii exstruendi sit, in unico tamen ignis vocabulo haeret, quod pro allegorico non habet, sed pro vero potius proprioque igne accipit, ac purgatorium suum inde exstrui posse credit. *Dico*, inquit, c. I. certum est, hunc locum intelligi de igne purgatorio, & more Pontificiorum non ex scriptura sacra, sed ex traditione & communi consensu Ecclesiae & Doctorum Pontificiorum purgatorium fundamentum in re habere, demonstrat. Sed totus contextus, uti jamjam demonstratum, atque a Contradicente concessum est, est allegoricus, & proinde ignis non materialis & proprie sic dictus,

C

qualis

qualis fingitur purgatorius, sed metaphoricus, & per similitudinem sic dictus, quod ex particula *ὡς* sicuti, quasi, cognoscitur. Non autem designatur ignis repurgationis vel expiationis peccati, sed probationis, examinis, vel explorationis doctrinae, virtute Spiritus Sancti sese exerens, per Verbum Dei scriptum non sine igne crucis & tentationis, vel in persecutionum & vitae periculo, vel in extremo agonis articulo, quo vera doctrina probatur, & perficitur ut aurum, erronea consumitur ut foenum. Conf. HOLLATHI *Examen Theologic. Part. II. pag. 718.* qui etiam phrasin *ὡς δὲ διὰ πύρρος* pro proverbiali agnoscit, ut sic summum periculum, censente GROTIUS, quem allegat, innuatur, & sensus sit: *Ille Doctor, qui foenum & stipulas superaedificat fundamento fidei, in summo salutis periculo versabitur, & fiet saluus quasi per ignem, tanquam ex periculoso incendio, conflagratis etiam errorum stipulis, ereptus.* Conf. *Judae Epist. v. 23.* Vide, si placet GEORGII CALIXTI expositionem literalem in *Epistolas Pauli ad Corinth. in 1. Epist. Cap. III. v. 101-15.*

§. XI. Circa vim vocabuli *δοκιμίζω*, quod a *δοκιμύω*, in rei naturam inquirō, exploro, &c. descendit, hoc saltem notamus, quod per illud modus probationis nobis exhibetur. Quod itaque auri, de quo hoc *δοκιμίζω* usurpatur, modum probandi apud Veteres, praecipue apud Aegyptios usitatum attinet, ex antiquitate eundem praeclare nobis sinit Criticorum Parens DANIEL HEINSIUS in *Exercitationibus sacris ad Nov. Testam. occasione oraculi 1. Cor. III. 10. sqq. pag. 374.* atque his describit verbis: *Totus sermo, ait, manifeste ab iis desumpsit, qui ἐν τοῖς χροσσοπυχείοις sive aurifodinis versabantur, quae subterranea erant loca, in quae damnati, vel extremae sortis homines, cum conjugibus ac liberis relegabantur. Quos nunquam*

nunquam eo ipse Praefectus loci demittebat, quod fuisse in Aegypto usitatum, multis in excerptis Photii antiquus scriptor Agatharchides ostendit. In quibus postquam ad ramenta auri viam plurimis molestiis Praefectus operarum fecisset, singulis τῆς ἐργασίας partem, quae non sine intolerabili labore procedebat, tradere solebat. Aurum ipsum modice purgatum iis tradebatur, qui ab eo σὺδαυεῖς dicuntur, qui purgatum jam labore maximo τοῖς ἐψητοῖς, sive iis, qui excoquerent, tradebant. Illi traditum cum plumbo, sale, paleis, aut foeno, ollae fictili inclusum, dies quinque totidemque noctes excoquebant. Post quae, coeteris absuntis, si officium praeclare miseri fecissent, nihil praeter aurum purum, & a coeteris distinctum, exhibebant. Quorum ultima δοκιμότης seu probatio, de qua agit hic Apostolus, (& huc proprie spectant, quae hic dicimus,) ipse ignis erat. Modum recentiorum Metallurgorum hic non describimus; poterunt hujus rei curiosi petere quicquid volent ex LAZARI ERCKERI, OLAI BORRICHII, aliorumque libris docimasticis; suffecerit nobis in auro omnium probatissimo & obryzo reddendo, quod ignis supplicium utramque paginam absolvat, omnes ad unum conspirare. Neque aliter cum fide comparatum est negotium; sicut enim in ipsa probatione ambigua res adparet, neque satis conspicuum est, utrum aurum eam sustinere queat, donec ad finem perducta sit: Ita fides interdum cespitare videtur, imo experimenta sibi divinitus immissa reformidat, donec aliquando feliciter eluctetur, & exitus eam coronet.

§. XII. Quod vocabulum ἐύγεθῆ inveniatur attinet, finem hujus probationis nobis ostendit; alluditque hoc loco Apostolus ad aurum, cui hactenus fidem comparavit; veluti enim auro tunc demum justum ac debitum suum premium statuitur, quando per ignem purgatum, ac probum

inventum est; sic fides quoque *probata atque examinata*, & genuina inventa, *laude, honore & gloria* digna a DEO censetur. *Επισημειον* vero illud, uti circa aurum non est *opinativum* aut *oculare* saltem; sed *reale* ex iudicio sagacissimi Docimastae & peritissimi ortum: ita circa finem in iudicio DEI adprobativo, sincere & sine fuce iudicantis, consistit omnis ejus *laus atque bonitas*. Vnde de ejusmodi *fide* hic dicitur, quod inveniatur in *laudem, honorem & gloriam*, per quod Gerbardus in hunc locum diversum quid indicari putat, censetque, quod *ἔπαινος* soleat fieri *verbis, τιμῇ* rebus & *gestibus*, & quod *δόξα* sit *sanum iudicium de alicujus virtute*. Accommodat haec ad credentium in die novissimo honorem consequendum, ac. 1.) dicit, *Christus in die iudicii credentes laudabit, dicens, esurivi & dedistis mihi cibum; eosdem glorificabit, dicens: Venite benedicti Patris mei possidete regnum; eosdem honorabit, a malis eos separando, ad dextram suam collocando, & in vitam aeternam introducendo.* 2.) *electi in die iudicii laudem habebunt apud homines, gloriam apud angelos, honorem apud DEUM,* 3.) *laudem habebunt in dotibus glorificati corporis, laudem in dotibus glorificatae animae.* Simplicissima tamen eidem magis arridet explicatio ex Scriptura petita, quod electi in die iudicii habituri sint *laudem*, quia tunc erit unicuique *laus* a DEO, I. Cor. IV, 5. *honorem*, quia Pater coelestis eos tunc honorabit, Joh. XII, 26. *gloriam*, quia *gloria & honor* tunc erit cuique, qui *operatus est bonum*. Rom. II, 10. Quidam Interpretes *ἔπαινον, τιμῇν ἢ δόξαν* pro Synonimis habent, quibus Apostolus magnificentiam hujus gloriosi eventus exprimere voluerit, atque per *δείνωσιν* seu exegeticam vocum congeriem explicant. Plurimi tamen discrimen inter haec tria agnoscunt. *Quod si*, inquit LORINVS *loc. cit. proprie loqui*
vel-

velimus, discrimen est in his tribus; etenim laus & ἔπαινος consistit per se in verbis; gloria & δόξα in bona opinione, cui laudatio simul jungenda; τιμὴ & honor importat externa signa.

§. XIII. *Tempus, quando scilicet fides probata atque genuina inventa tam honorifice sit excipienda, postrema verba: ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ χριστοῦ in revelatione Jesu Christi, nobis insinuant. Dicitur vero haec revelatio esse Christi, tum objectivae, quoniam in ultimo adventu ad iudicium extremum oculis carnis cernetur, qui hactenus ipsis absconditus & invisibilis est, v. g. tum effectivae, quia tanquam Iudex vivorum & mortuorum a Patre coelesti constitutus, Joh. V, 27. manifestabit & in apricum producet omnium hominum mores, dicta, facta, atque speciatim fidelium fidem, eamque adprobabit, & celebrabit. Vnde id jam fecit instar praeludii, ubi in diebus carnis fidem nonnullorum vehementer praedicavit. Matth. VIII, 10. c. XV, 28. Multo magis illud praestabit in die pantocritico, ut fidem vero & unico suo objecto nixam, constantemque, sit coram angelis & electis celebraturus. Hoc enim est τὸ ὁμολογεῖν DEI, quo confitetur hanc fidem esse vere bonam, materialiter & formaliter recte constitutam & incorruptam. Luc. XII, 8. Neque turbabit quenquam locus ille, 1. Cor. XIII, 8. ubi & scientiam & sic etiam fidem aliquando cessaturam esse, dicitur. Huic enim objectioni & GERHARDVS in Commentario in b. l. & FRIEDLIBIVS in Theologia sua Exegetica ex asse satisfecerunt. Prior loc. cit. pag. 70. sqq. ita inquit: in die iudicii fides nondum cessabit, quia norma iudicii erit; qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur, Marc. XVI, 16. atque ex operibus bonis, vel malis iudicium fiet de hominum fide vel incredulitate. Quotquot ergo in die iudicii in-*

venientur in fide usque ad finem vita perseverasse, ac per bonorum Operum studium demonstrasse, illi a Christo iudice honorem, laudem, & gloriam sortientur. Posterior vero cit. loc. in *Class. II. antilogicarum in hunc v. pag. 771.* eadem ratione respondet: *In die iudicii, ait, fides nostra nondum cessabit, quia norma iudicii erit, atque operibus bonis vel malis iudicium fiet de hominum fide & incredulitate.*

SECTIO II. DOGMATICO - MORALIS.

§. I.

Duplex nobis in scriptura sacra assignatur probatio, alia activa, alia passiva. Prior est juxta DEI verbum fidei ab hoc ipso facta accurata exploratio, num notas ibidem praescriptas & requisitas habeat. Explicat hanc activam probationem fidei B. GVILIELMVS LYSERVS in *Systemate Thetico-Exegetico, p. 1660.* pro more suo, gravissime, per *Syllogismum practicum*, Cujus Major ex scriptura sacra sumatur, atque ita procedat: *Cujuscunque fides ex Verbo DEI gratiam DEI & meritum Christi adprehendit, illa est vera fides; subsumptio fiat per sui ipsius conscientiae, per Spiritum Sanctum sese examinantis, testimonium, non tantum quoad praesentia, sed quoad omnia, quae in Verbo DEI proponantur. Spiritum enim hominis τὸ τῆ ἀνθρώπου, hoc est, seipsum novit, & quae in ipso sunt. 1. Cor. II, II.* Ac licet fidei possessio non sit absolute immutabilis, attamen infallibilem & immutabilem habet evidentiam, quando in homine existit, & tum agnoscitur, si iudicium adhibeatur juxta Verbi normam. Hinc iudicium discretivum falli haud posse arguit, cum conclusio sit infallibilis veritatis, quia Major Divina, & minor in Majore continentur virtute. Non male HORNBECKIVS: *Nihil eviden-*

evidentius in homine, quam an anima ejus recipiat Christum: hoc magis per se constat, quam ulla alia, ex quovis signo, illatione, ubi & signum quod dederis, & conclusio inde facta erit incertior ipso quaesito. Fides homini non est obscura res vel minus nota, sed certa; homini videlicet extra tentationem & spiritualem desertionem considerato. Miscellan. Lib. III. c. XII. de fide pag. 435. Altera vero scilicet *passiva* fidei probatio illa dicitur, qua Deus erga fideles utitur ex sola infinita bonitate, ut illa cum primis respectu fidei suae, explorentur, & occasio ipsis praebeatur, qua ejus specimen luculentum etiam coram hominibus publice edere queant. De posteriori hac nobis in praesentiarum fermone esse, inque oraculo nostro Petrino eam nobis insinuari, extra omne dubium est, priori tamen non exclusa, quippe quae se hoc loco consecutive habet.

§. II. Haec vero *passiva* fidei probatio definiente Magnifico Domino Praeside, in Collegio speciali de *Actibus Gratiae Spiritus Sancti adplicatricis*, dicitur *Actio Gratiae Spiritus Sancti adplicatricis, qua hominem justificatum, renovatum ac confirmatum, adeoque viribus spiritualibus sufficienter instructum, ex ineffabili sapientia & bonitate per varia tentationum corporalium & spiritualium experimenta explorat, ut exploratum, fidei sinceritate & constantia deprehensa in die extremo collaudet, adprobet, & post exantlata certamina aeterno triumpho coronet.* Ubi de causis benignissimae hujus actionis non sine voluptate dispicere possumus. *Efficientem* enim ejus tota sacro sancta Trinitas constituit. Competit illa *Deo Patri*, quod David insinuat, *Psal. XVII, 2. 3.* quando ad illum provocat, petitque, ut *a facie Domini jus suum prodeat*, quia oculi Iplius viderint, quae recta fuissent, quum exploraverit animum ejus, & visitaverit nocte, ipsumque probaverit.

Hujus

Hujus etiam Gratiae ab Apostolo Paulo tribuitur, quod *cor humanum* inter tentationes falsarum doctrinarum *confirmet*, Ebr. XIII, 9. & quod *castiget credentes*, & *ipsorum utilitatem promoveat*, c. XII, 7. Competit haec fidei probatio *Christo Salvatore* secundum utramque naturam; qui quum vidisset multum populum ad ipsum venientem, Philippum interrogabat, *unde panes sint petendi*, ut hi facturentur; *ad probandam vero fidem* Philippi directam fuisse interrogationem Christi, ipse Johannes Evangelista Cap. VI, 6. annotavit, inquit: *hoc vero dicebat περιζωυ tentans ipsum*. Sigillatim vero & terminative Spiritui Sancto competit, cujus imprimis est scrutari ipsa *βόθνη τῆς Θεῆς*, adeoque etiam *profunditates cordis & intimos recessus fidelium* I. Cor. II, II.

S. III. *Subiectum* quod hujus probationis divinae, uti jam supra notavimus, in genere *omnes homines*, nullo respectu sive ad incredulitatem, sive ad fidem habito, constituunt; *omnium enim hominum corda atque renes Jehovah scrutatur* Psalm. VII, 10. Jer. XI, 20. ubi per renes, notante GLASSIO, Philolog. sacr. pag. 1459. intimae cogitationes, cupiditates, desideria, abstrusissimi affectus atque delectationes hominum intelliguntur. Sigillatim vero hoc loco *fideles* considerantur, quatenus iam sunt justificati, renovati, & a Spiritu Sancto viribus spiritualibus praediti, naturaliter tamen crucem atque calamitates reformidantes. Sic DEVS Gen. XXII, 1. 2. Abrahamum exemplo plane singulari gravissime equidem, sapienter tamen & benigne tentabat, praecipiens ei, ut filium suum unicum, eundemque dilectum valde, offerret ipsi in holocaustum, quod *fidei probationi probeque inventae*, atque compertae a Paulo tribuitur Ebr. XI, 17. *Subiectum* quo fides est, non illa Socinistarum, quae genuino suo atque legitimo fundamento

damento destituitur, atque secundum opinionem LUDOVICI WOLZOGENII in *praeparatione ad utilem SS. Litterarum lectionem Cap. VI, pag. 256.* in obedientia atque observatione Legum Novarum per Christum in Novo Testamento latarum consistit: Sed illa fides salvifica, quae purae gratiae Dei regenerantis opus, ministerio Verbi & Sacramentorum in homine, Spiritui Sancto malitiosum obicem non ponente, productum, quo is promissionem Gratiae, atque ea oblatum *Ἰεωῦ Ἰσραὴλ* meritum ad omnes in universon homines ex seria Dei intentione spectans, sibi in individuo interiori cordis motu adplicat, atque appropriat, in suammet salutem, & Dei gratiosi gloriam. Probatur vero secundum oraculum praefens haec fides, tum secundum suam *veritatem & praestantiam*, tum secundum suam *durationem*. Debet enim fides non saltem esse *τίμιόν τι*, in se genuinum & pretiosum quid, verum etiam non esse *ἀπολλυμένον*, id est, durare ac perdurare inter medias tentationes, ne desinat, ac cesset in media cribratione, Luc. VIII, 13. XXII, 32.

§. IV. Quod formam & finem hujus divinae probationis concernit, prior consistit in excussione accuratissima omnium cogitationum & motuum cordis humani, qui tum in conscientia, tum exterius per verba & facta se exerunt; illa tamen interdum non sine exquisitis animi doloribus perficitur, in tentationibus praecipue spiritualibus, quas Salvator Noster O. M. *συνκομῆς* seu cribrationis voce emphatica insinuat, loco jam allegato Luc. XXII, 31. ut innuat, tentationes hominem velut excutere, ut nihil inexploratum maneat. Ita ipse Salvator cribro harum tentationum spiritualium cribratus, tum in agone mortis constitutus Luc. XXII, 44. tum in cruce pendens, ubi extremum gradum

D

harum

harum *in desertione Dei* expertus Matth. XXVII, 46. Comparat David, Regius ille Propheta, in Psalm. LXXXVIII, 8. has tentationes *vehementissimis maris fluctibus*, quibus ipsum saepissime fuisse expositum, ex Psalmis ejus facile colligere licet. Pertinet huc imprimis memorabile Pauli exemplum, qui ob tentationes suas vehementissimas sese *cuidam, palo confixo & confosso* comparat 2. Cor. XII, 7. 8. 9. Pertinet huc quoque LUTHERI Nostri, WELLERI, MATTHEII, aliorumque exemplum, quos variis tentationibus spiritualibus fuisse subjectos, ex historiae monumentis constat. Unde etiam *fnis* Dei hic non minus semper bonus est, scilicet, ut homo ejusmodi probatus atque exploratus, & Ipsi & hominibus *fidem* suam *probet*, ipsiusque exemplum alii quoque sequantur. Intendit speciatim animas credentium atque fidelium *reddere firmiores*, quo fortius subeant pugnas, subinde redituras, ut & preces avidiori spiritu fundant, quod exemplum Christi in agone constituti docet, qui majores tentationes ardentioribus precibus excipiebat Luc. XXII, 44. Tandem etiam ut suo tempore sequi queat *liberatio* tum *temporaria*, in hac vita, tum *plenaria* & aeterna in analysi beata, ut & praemiorum coelestium excellentia rite certantibus promissorum 2. Tim. II, 3. 5. non omisso publico praeconio coram angelis & electis aliquando praestando Matth. XXV, 21. 1. Tim. VI, 13. sqq. Luc. XII, 8.

§. V. *Medium*, quo Deus ad probandam fidem credentium utitur, partim *directum*, partim *indirectum* est: *Directum* Verbum Dei, *indirectum* crux atque calamitates variae constituunt. Per *Verbum* Deus probat suos, quando cordibus hominum, speculo legis conscientiae opposito, peccata vivis coloribus repraesentat, iraque suae magnitudi-

gnitudinem subinde ad animum revocat, ut adpareat, utrum & vera sit contritio, & vera fides adsit, quæ remedium vulnerum suorum in vulneribus Jesu Christi quaerat. Accendit quoque per idem probationis medium amorem Dei, devotionem, desiderium rerum coelestium, qua de causâ Verbum Evangelii de Christo inter Gentes annunciatum *per ignem* notatur Luc. XII, 49. Effectum ejusmodi videmus in *Jeremia*, c. XX, 9. & in *discipulis Emaunticis* Luc. XXIV, 32. Probat Deus etiam per Verbum in *consumendo & cruciando*; Verbum Christi enim omnes adversarios vincit, judicat, & condemnat, Joh. XII, 48. quo aut reducantur in rectam viam, Jer. V, 14. c. XXXIII, 29. aut corde indurato renitentes aeternum peccant, aeternoque igni tradantur, Matth. VII, 19. Hinc maxima cum emphasi de Verbo Dei praedicatur, quod sit *vivens Verbum & efficax, & secantius omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animae ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Ebr. IV, 12. 13. Multos equidem Interpretes esse, non ignoro, & inter ipsos Celeberrimum quoque omnium Interpretum, SEBASTIANUM SCHMIDDIUM, qui oraculum hoc ad Verbum *Hypostaticum* quam ad Verbum *προφορικόν* referre malit, in *Comment. suo ad hanc Epist. pag. 443.* De Verbo tamen *προφορικῶ* hoc loco agi tum *praedicata*, multis aliis in locis Verbo DEI *προφορικῶ* attributa, tum *cohaerentia* cum antecedentibus, in quibus de illo Apostolus sermonem sibi esse testatur, evincunt. *Indirectum* medium *crux & calamitates* variae, quas DEUS probationi per Verbum superaddere solet, constituunt, quas Apostolus in commate praeced. 6. per *περὶ ἁσμεν & ποικίλης* cum Jacobo Cap. I, 2. insinuat. Duplici



vero modo DEVS hoc loco procedere solet, dum fidem suorum partim *internis tentationibus* subjicit, partim etiam per *externas persecutiones* constantiam fidelium explorat, quas plerumque martyria cruenta & incruenta insequuntur. Probat Deus etiam interdum homines per *res secundas*, scrutaturque fidei hominum constantiam, ubi tamen plerumque, non equidem ex Dei O. M. intentione, sed ex accidente fieri solet, ut illi per eas fide excidant, eamque plane amittant, qua de causa Salvator noster rem esse difficillimam pronunciavit, ut divites regnum coelorum ingrediantur, Matth. XIX, 23. 24.

§. VI. *Effectus*, quos Deus per probationem hanc suam producit longe saluberrimos, in *fidei praestantia*, *tranquillitate mentis* ex testimonio Spiritus Sancti orta, atque *divina adprobatione & remuneratione* consistunt. Sequitur enim hanc fidei probationem ipsius praestantia, ex variis afflictionibus atque calamitatibus haecenus recensitis ortum trahens, quae veluti ignis scorias metalli, fidem probam atque genuinam a spuria distinguunt, eamque a variis defectibus inconstantiae, hypocrisis, atque diffidentiae purgare solent. Homo enim fidei naturam, & quantum fidei sibi vel adsit vel desit, non prius solide intelligit, quam ipse ejus experimenta ceperit sub afflictionibus variis, quae illius defectus solent detegere, ut antea ignota, sed nunc per experientiam detecta notitiam nostram subeat. Quo facto *solidatur* quasi fides nostra ac *duratur*, longeque praestantissima efficitur. Oritur inde *tranquillitas mentis*, quam scriptura alias nobis sub pacis spiritualis nomine insinuat, quae etiam inter medias turbas, quae ejusmodi homini, in probatione divina constituto, cum diabolo, mundo, & carne intercedunt, non solum

solum confistit, sed etiam cum aliquo *sensu* atque *gusto* Gratiae atque *dulcedinis* Divinae conjuncta esse solet Pl. XXXIV, 9. Ebr. VI, 4. 5. Cujus extremum gradum, quantum in viventem adhuc hominem fere cadere potest, Apostolus Paulus tunc expertus est, quando *in Paradisum raptus* τὰ ἄρρητα ῥήματα audivit 2. Cor. XII, 4. Hanc tandem *divina adprobatio atque remuneratio* sequitur, quum Deus probatae ejusmodi per varias calamitates fidei dignum statuet pretium, atque coram electis & angelis declarabit, quanta sit ejus praestantia, quantoque praemio digna, quod per gratiam etiam ipsi tribuet, Matth. XXV, 34. atque aeternae gloriae adjudicabit. Non enim nisi *legitime, bonumque certamen certanti*, brabeum dari, & nonnisi in vincentem cadere coronam scriptura sacra non uno loco adferit 2. Tim. II, 5. Apoc. II, 7. 10. & oraculum nostrum *omnem honorem, laudem & gloriam* ejusmodi probatis fidelibus promittit, verum etiam destinatum tempus denominat, *manifestationem scilicet Jesu Christi*, quae aliquando in die extremo futura est: sicut e contrario *ἀδόκιμοι* aeterna abiectione a Deo excipiuntur, & *igne nunquam terminando* puniuntur 2. Theff. I, 8. 9.

§. VII. Adjuncta hujus actionis Dei benignissimae sunt 1.) *utilitas*, 2.) *durities*, 3.) *necessitas*, 4.) *sublimitas*, 5.) *duratio*. *Utilem* maximopere esse hanc probationem Divinam inde adparet, quia non solum laudem, ut dictum, & honorem parit, verum etiam promovet ejusmodi probatorum bonum *temporale*, quale apud Hiobum Cap. XLII, 10. invenimus, cujus opes deperditas non solum Deus restituit, sed duplo etiam auxit. Impertit praeterea bonum *spirituale*, non modo per vitiorum decre-

mentum, ille enim qui probatur a Deo, desinit a peccato, docente Petro in Priori Epist. c. IV, v. 1. & per illam participes reddimur sanctimoniae Ebr. XII, 10. sed etiam per *virtutum ac beneficiorum incrementum* atque augmentationem. Sic enim ejusmodi probatus in angustia ad Jehovam clamat, & Deum invocat, Psalm. XVIII, 7. inque calamitatibus atque tentationibus Dominum visitat, & castigatione premente, submissam ad eum orationem fundit Esai. XXVI, 16. *Duram* vero esse hanc probationem divinam ex comparatione cum *auro*, non solum metallo omnium durissimo, sed durae etiam probationi per ignem subjecto, satis adparet. Quae quo durior & molestior est, compensatur eo majori excellentia gloriae vitae aeternae, quam Apostolus nominat *αἰώνιον βέλος δόξης καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν* 2. Cor. IV, 7. *Necessitas* tum ex Dei *ordinatione*, tum *nostra cum Christo conformatione* fluit, atque colligitur; oportet enim non solum per multas *afflictiones nos ingredi in regnum coelorum*, Act. XIV, 22. & per *tolerantiam voluntati Dei obsequi* Ebr. X, 36. sed etiam *imagini filii Dei conformandi sumus* Rom. VIII, 29. *Sublimitas*, seu quod sit mysterium, quod ratione nostra non possit intelligi, a Paulo evincitur 1. Tim. III, 9. Sicut purgatio auri inter mysteria & arcana naturae merito referenda, quis enim imperitus crederet pretiosissimum metallum ex tot impuritatibus & scoriis, quibus cingitur, adeo feliciter tandem suo tempore eluctari posse, ut oculos intuentis & animum mire recreare possit? *Durare* vero ejusmodi probationem fidei aliquamdiu adparet tum ex *exemplis* fidelium in scriptura sacra nobis propositis; ubi Lazarum usque ad finem vitae probatum fuisse ex Luca Cap. XVI, 22. liquet, *tum ex intervallis*,

tervallis, quibus fideles probati, ipseque Christus a Sathana tentatus fuit obnoxius, Matth. IV, 3. 5. 8. merito colligitur.

§. VIII. Coronidis loco quaedam jam monita moralia, ad probationem fidei activam spectantia, brevitate studio tribus velut verbis adjungere placet. Aequum sane est vi oraculi nostri ut homo ejusmodi probatus a DEO:

1.) *Seipsum inquisitioni atque sedulae probationi subjiciat, num in fide sit, nec ne?* ideo enim monet Apostolus, ut curemus, ne fides nostra sit *ᾠδύμιος*, quod si fieri debeat, par est, ut subinde de fidei nostrae statu percontemur.

2.) *Calamitates ad probandam fidem ejus a DEO ipse immissas, toto & prompto animo subeat;* Huc enim tendunt admonitiones Petri, oraculum praefens antecedentes, quibus monet, ut exultante potius, quam dolente animo crucem subeamus v. 6.

3.) *Caveat, ne in probatione DEI carnem consulat ac sanguinem;* Quae enim ad horum examen revocantur, Lydium lapidem Divinae probationis non sustinent.

4.) *Caveat, ne pro probationibus DEI habeat, quas homines Fanatici & perversi alii pro talibus fingunt;* Quid enim opus flagellationibus, & propriis macerationibus corporis, ubi DEVS ipse sibi hoc reservat, ut crucem immitat fidelibus? Quid opus crucibus fabricatis, ubi DEVS ipse suis eas fabricat?

5.) *Caveat, ne ex falsa hac opinione cum Separatistis à coena Dominica & auscultatione Verbi abstineat, sibi que sanctitatis singularis opinionem concipiat;* Verendum enim est, ne primo igne tentationis a DEO immissae ejus pieras instar

instar stipulae aridae consumatur, ut ex Petri abnegatione constat, qui ne quidem primum impetum sustinuit Luc. XXII. 57.

6.) *Caveat ne cum malefisis quibusdam ac perversis aliis malefacta DEO, eiusque probationi adscribat;* Nihil enim est facilius, ut iniquo iudicio, DEO tribuant, quae hominum sunt. Ignem persecutionis, quo fideles excipiuntur, accendi permittit ab impiis, neque tamen mandat, neque accensoribus adplaudit: sicut passionem filii sui decrevit, passionem inferentes ipsi detestatus est.

7.) *Caveat ne cum fanaticis Theologiam Ministri tentati majus in se pondus acquisivisse, putet, adeoque caute de Theologia experimentalis loquatur;* Theologus quidem tentatus magnum Ecclesiae DEI donum, carumque pignus est, cujus exemplo multi ad imitationem fidei & patientiae moveri possunt. Neque tamen idcirco ipse habitus ejus alterius indolis aut virtutis est, quam si non esset tentationi subjectus. Tentatio Theologum alterat, non vero habitum immutat. Haec impraesentiarum de probatione DEI pro modulo ingenio dixisse sufficient. DEO ter Optimo, terque Maximo pro concessis ad laborem hunc qualem qualem feliciter ad finem perducendum, viribus, gratias ago habeoque immortales, Ipsi- que Gratiae studiorum incrementa porro anxiosissime commendo.

SOLI DEO GLORIA!

00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3



1007

Retro ✓







2. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA

39

DE
**FIDEI
PROBATIONE
DIVINA**

Qua occasione Oraculi i. Petr. 1, 7.
ORTHODOXAM SENTENTIAM SISTIT
EANDEMQUE

SVB MODERAMINE
DN. MARTINI CHLADENII
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESS. PVBLICI
AEDIS OO. SS. PRAEPOSITI, ET SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSORIS

*MAECENATIS SVI AC STVDIORVM PROMOTORIS
FILIALI CVLTV ATQVE OBSEQVIO AETERNVM
VENERANDI AC PROSEQVENDI
E CATHEDRA BEATI LVTHERI
DIE IV. APRILIS A. O. R. ∞ 1700 XX.*
PLACIDAE Θεολογικῶν DISQVISIONI
SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRVS
M. GODOFREDVS SAMVEL Seyfried
FREYBERGA MISNICVS
SS. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.